IN SOLEMNI SANCTI APOSTOLORUM PETRI ET PAULO FESTO

Francesco Antonio Astore

Digitized by Google

Digitized by Google

L118.6

Digitized by Google

B

418. 6

Digitized by Google

C

4118.6

Digitized by Google

MISCELLANEE
R. BIBLIOTECA NAZ. CENTRALE DI FIRENZE
418
6

Digitized by Google

418.6
DI-

IN SOLLEMNI SS. APOSTOLORUM
PETRI ET PAULLI

FESTO DIE XXIX. JUNII MDCCLXXXV.

Λιται

FRANCISCI ANTONII ASTORE

JCti NEAPOLITANI

BIBLIOTECA NAZIONALE FIRENZE

Ωδη Σαπφικη.

PETRE, qui Coeli decus, atque magnus
Janitor, fulcrum, fideique firma
Petra (1), fundamen, basis, et columna
Nescia flecti (2);
Clavibus Coeli geminis coruscans,
Si fores claudis, reserat quis unquam?
Quod ligas terris, poterit quis unquam
Solvere, PETRE (3)?

BIBLIOTECA NAZIONALE FIRENZE 1872

a Ag-

(1) *Matth. cap.* 16. *v.* 18.
(2) *Columna flecti nescia, Hymn. in Div. Petr.*
(3) *Cui potestas tradita aperire terris Coelum, voce claudere. Hymn. S. Roman. Eccl. Vid. etiam Matth. cap.* 16. *v.* 19.

Digitized by Google

Agminis sacri jubar , atque ductor ,
Et gregis CHRISTI caput , atq; Princeps (1)
Vinculis firmas (2) lacrumis (3) cruore (4)
Dogmata nostra .

Sancta TE fratrum duodena habere
Turba supremum meruit Magistrum (5):
Sit gregis nostri TIBI cura magna ,
Dixit IESUS (6) .

Fassus es CHRISTUM subolem potentem
Patris aeterni prior inter omnes (7):
Unde TU factus caput atque princeps
Discipulorum (8) .

Pro

---

(1) *Matth. cap.* 10. *v.* 2. , *cap.* 6. *v.* 18. , *cap.* 16. *v.* 24. & *seqq.*
(2) *Actor. Apostol. cap.* 12. *v.* 5. & *seqq.*
(3) *Luc. cap.* 22. *v.* 62.
(4) *S. Roman. Eccl. in Antiph. ad Magnif. in Vesp. diei* 29 *Jun.*
(5) *Actor. Apostol. cap.* 1. *v.* 15. & *sequ. cap.* 2. *v.* 14. & *sequ. cap.* 3. *v.* 12. & *sequ.* , *cap.* 4. *v.* 8. & *sequ. S. Hieronym. libr.* 1. *Commentar. in Matth. cap.* 16.
(6) *Johann. Evangel. cap.* 21. *v.* 15. 16. 17.
(7) *Evangel. Matth. cap.* 16. *v.* 16. *Luc. cap.* 9. *v.* 20. *Marc. cap.* 8. *v.* 29.
(8) *Luc. cap.* 22. *v.* 1. & *sequ. Johann. cap.* 21. *v.* 17. *seq. S. August. Episc. in Serm.* 29. *de Sanct. in homil. ad Matth. cap.* 16. *Simon Petre antequam de navi vocarem te, novi te , & super plebem meam Principem te constitui . S. Rom. Eccles. in offic. SS. Apost. Petr. & Paull.*

Digitized by Google

Pro tuâ multis lacrumis rigasti
Tu genas culpâ (1) ; lacrumae cadentes
Hae tuae, nobis reserent Olympi
Tecta, domosque.

Compedes passus, tenebris, situque
Carceris squallens (2), pedicae, et catenae
Hae tuae, nobis retinacla culpae
Dira relaxent (3).

Coelitus missus TIBI, *surge PETRE* (4),
Angelus dixit; cecidere vincla (5),
Surge nunc velox (6), manicis solutis,
Indue vestes (7).

I,

(1) *Matth. cap. 26. v. 75. Marc. cap. 14. v. 72. Luc. cap. 22. v. 62.*
(2) *Actor. Apostol. cap. 12. v. 5.*
(3) *Solve, jubente Deo, terrarum Petre catenas, Qui facis, ut pateant Coelestia regna beatis. S. Rom. Eccl. in offic. SS. Apostol. Petr. & Paull.*
(4) *Angelus Domini adstitit, & lumen refulsit in habitaculo, percussoque latere Petri excitavit eum. Act. Apost. cap. 12. vers. 7.*
(5) *Et ceciderunt catenae de manibus ejus. Ibid.*
(6) *Surge velociter, ibid.*
(7) *Praecingere, & calcea te caligas tuas.. Circumda tibi vestimentum tuum &c. ibid. vers. 8.*

Digitized by Google

I, patent valvae (1) lacrumis precantes (2)
Voce confirma socios fideles (3);
I, fidem nostri DOMINI TRIUNI
Perfer in Orbem.
Semper hinc Romae tua, PETRE, sedes;
CHRISTUS, ut jussit, manet, et manebit (4);
Horridis frendens fremet anguis Orci
Rictibus oris (5).
TE nihil majus generatur unquam
PETRE, nec quidquam simile, aut secundum;
Proxima at lethi comes occupasti,
PAULLE trophaea (6).

PAUL-

---

(1) *Venerunt ad portam ferream, quae ultro aperta est eis. Ibid. v.* 10.
(2) *Oratio autem fiebat sine intermissione ab Ecclesia ad Deum pro eo. Actor. cap.* 12. *v.* 5.
(3) *Et tu aliquando conversus, confirma fratres tuos. Evang. secund. Luc. cap.* 22. *v.* 32.
(4) *Matth. cap.* 16. *v.* 18.
(5) *Et portae inferi non praevalebunt adversus eam. Ibid.*
(6) *Qui operatus est Petro in Apostolatum, operatus est mihi inter gentes. S. Roman. Eccles. in offic. & antiph. pro Div. Paull.*

Digitized by Google

Paulle, qui Doctor (1), fideique praeco (2),
Ense qui stricto populos tueris,
Quos sibi junxit Dominus, beatos,
Omne per aevum.

Vos canam Christi pugiles potentes (3),
Vos canam nostrae Fidei Magistros (4),
Vos canam nostrae Fidei triumphum,
Vos decus ingens.

Nobilis lethi preciosa vestri
Palma nunc omnes radiis coronat
Asseclas Christi, cruor et phalanges
Torquet Averni.

Sanguine hoc vestro mage nunc triumphans
Roma, quam cunctis populis subactis
Temporis prisci, potiora jactat
Jure trophaea (5).

Ri-

---

(1) *Actor. Apost. cap.* 18. *& seqq. Egregie Doctor Paulle, mores instrue. S. Rom. Eccl. in hymn. SS. Apost. Petr. & Paull. Praedicator veritatis, & Doctor gentium. S. R. Eccl. eod. die.*

(2) *Acta Apost. cap.* 15. *& seqq.*

(3) *Bonum certamen certavi. Epist.* 1. *ad Timoth. v.* 6.

(4) *Acta Apost. per tot.*

(5) *Serm. S. Leon. Papae serm.* 1. *in natal. Apost. Petr. & Paull. S. Joh. Chrys. in Exhort. Moral. serm.* 32.

Digitized by Google

Ritibus pulsis veterum Deorum ,
Roma pro vobis nimium beata (1)
Facta nunc veri via , fons , et Orbis
Vita , salusque (2) .

Roma priscorum tenebris fugatis
Numinum , verae Fideique fulget
Stella pro vobis , domus atque CHRISTI,
Portaque Olympi (3) .

Unde Vos Patres merito potentes,
Vos vocant septem juga conditores (4) ,
Vos , quibus septem placuere colles
Sanguine fuso .

Hac die nobis redeunte magna ,
Thure Vos multo , precibusque , et hymnis
Urbs colit Romae , colit Orbis omnis ,
Et colit aether .

Vos

(1) *O Roma felix! quae duorum Principum*
Es consecrata glorioso sanguine!
S. Rom. Eccl. hymn. SS. Apost. Petr. & Paull.

(2) *Ego sum via , veritas , & vita , nemo venit ad Patrem , nisi per me . Joh. cap.* 14. *v.* 6.

(3) *Terribilis est locus iste : domus Dei , & porta Coeli . Gen. cap.* 28. *v.* 17. *Vid. Serm.* 1. *S.Leon. Pap. in natal. Apos. Petr. & Paull.*

(4) *Vid. S. Leon. Pap. ibid.*

Digitized by Google

Vos gregi sancto placidam quietem,
Nunc date, et semper; ratis alma CHRISTI,
Dicite, i felix, ratis, i secundis
Omine, et auris.

Quique Vos semper PIUS ipse SEXTUS
Pectore, et sacro veneratur ore,
Pontifex Magnus, trahat hic et aevi
Tempora multa.

Vivat hic annos numero carentes,
Semper et felix; ratis alma CHRISTI
Sospite atque ipso, sit et ipsa sospes,
Tutaque semper,

PETRE cum PAULLO, decus Orbis ingens,
Lucidum Coeli jubar, o colendi,
Semper et culti, date quae precamur
Poplite flexo.

Primus e vobis trabe fixus haerens,
Alter immani gladio peremptus (1),
Hac die laeti meruistis ambo
Scandere Olympum (2).

Hac

---

(1) *Per ensis ille, hic per crucis victor necem. S. Rom. Eccl. in hymn. pro die SS. Apost. Petr. & Paull. Vid. Serm. S. Maxim. Ep. homil.* 5, *de SS. Apost. Petr. & Paull.*

(2) *Hodie Simon Petrus ascendit crucis patibulum, hodie clavicularius regni gau-*
dens

Hac die laeti date quae precamur ,
SEXTUS aeternos PIUS almus annos
Vivat , intersit populisque nostris
Omne per aevum .

Περας .

dens migravit ad Christum ; hodie Paullus Apostolus , lumen orbis terrae , pro Christi nomine martyrio coronatus est . S. Rom. Eccl. in antiph. ad Magnif. in vesp. diei 29. Jun.

Z
418.6
9941167
Digitized by Google

418.6

Digitized by Google

Digitized by Google

6

4186

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google